



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

Caput Vndecimum. Quomodo Lutherus excommunicatus fuerit: & quò
desperatio eum adegerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

corpus, tamquã ingentem colossum subruo fundamento, vnã repente corruiturum. Hæc rebellionis Lutheranae fuere rudimenta. Schisma D. Thomas sic definit: (a) *Essẽ scilicet singularem & contumacem separationem ab unitate Ecclesiæ, eo quod quis Caput eius, qui est Papa Romanus, agnoscere nolit.* Ad huius igitur potestatem, quam toties antea confessus fuerat, oppugnandam Lutherus pleraque argumenta sua direxit, nihil dubitans hoc modo ordinem quo Ecclesiã mirabiliter & pulcherrime inter se aprata est & colligata, perturbatum adeoque sublatum iri: ordinem, inquam, qui sine capite hoc subsistere non potest. Caput hoc tolle, ordinem quoque sustuleris; tolle ordinem, animam vpa Ecclesiæ, vires & essentiam quoque tolles. Sic Nestorius, Manes, Dioscorus & alij fecerunt. Hinc recte S. Cyprianus. (b) *Neque enim aliunde, inquit, hæreses oborta sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesiã ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post cõpiscoporum consensum iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiã scinderet; nemo sibi placens ac iuuens, seorsum fors nouam hæresim conderet. Sed quemadmodum fluctus scopulis illi franguntur potius quam frangunt: sic quoque per am hanc fundamentalem oppugnantur, inuicta eius duritie fracti & quasi in spumam versi euaneunt.*

VI. Quamuis autem Lutherus caput hoc de summi Pontificis potestate magna contentione & vehementia discuteret, ita tamen ambigua utebatur interpretatione, vt vna manu destruere, altera & edificare videretur. Atque hoc eo, quod auctor schismatis, vt ipse dictitabat, esse nollet. Ab Eccio vero Bohemorum fautor & protector appellatus, vt quorum errores iam olim à Constantiensi Concilio damnatos sequeretur & defenderet: *Mentiris, inquit, pro solita sua modestia, Hussita numquam fui: quos tamquam hæreticos damno, vt qui propria auctoritate se ab Ecclesiã separarunt.* Verum enim uero constat ex omnium eorum qui Colloquij huius Acta conscripserunt testimonijs Lutherum supremam Romanæ Sedis auctoritatem agnouisse tandem, aperteque professum esse, hanc tamquam omnium Ecclesiarum

matrem agnoscentem esse. Quin idem narrat Georgium Principem, apprehenso vna manu Eccio, & Luthero altera, vt finem ipsorum De Pontificis primatu concertationi imponeret, sic vt tumque compellasse: *Quid illud tanta contentione discutitis, vtrum Papa diuino aut humano iure supremum sit Ecclesiã in terris caput, quum ipse sit supremus Christianorum Pontifex, semperque sit futurus? Hic solus est, in quem Deus omnem potestatem contulit, vt ea deinde in plurium dominationem diffunderetur. Si ne hoc enim velut sacrate nullus Episcoporum alteri cederet, & confusione acturbis omnia miserentur: adeoque in Ecclesiã non ordo, qui in ea pulcherrimus & convenientissimus esse debet, sed mera anarchia futura esset.* Hic Lutherus obmutuit, non sine magna assidentium admiratione, quod illum non solum in hoc articulo, etsi nondum, vt debebat, discussio, sed alijs etiam, ac præfertim illo qui est de Purgatorio, quem ille Papalem ollam seu culmam prius appellarat, contra primas suas Propositiones multa remittere viderent & audirent. Credo, inquit, atque adeo dicere audeo Purgatorium esse: & cum S. Gregorio dico, eius mentionem fieri xii. capite Euangelij S. Matthæi, & lib. ii. Machab. cap. xii. Sic vt sæpe intra Ecclesiã septa se recepisse videretur; quæ tamen mox iterum tamquam erratica & ferrox bestia perfregit, rupitque reuagulis, quacumque carnales eum trahebant cupiditates, ferebatur tantopere desiderata libertate seu viuendi licentia tandem peritus.

QVOMODO LUTHERVS EXCOMMUNICATUS FUERIT: & quod desperatione eum adegerit.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

- I. Georgius Saxonia Dux iam dicta disputatione in Catholica Religione valde confirmatur.
- II. Lutherus ad Papam scribit. Leonis in reprimenda hæresi conatus, & Pontificij Legati error.
- III. Consuetudo & ceremonia Ecclesiastica excommunicationis.
- IV. Lutherus excommunicatus, ad desperationem redigitur.

V. Lu-

a 2. 2. 9. 35. Ars. 1. b ep. 55.

V. *Lutherus inris Canonici libros publice concremat; & alia extrema audacia consilia capit.*

VI. *Turpes Lutheri Prophetas pictura, scripta & verba.*

I. **O**PERAM profecto perderem, ac Lectoris abuterer patientia, si omnia quæ in isto Colloquio acta aut disputata sunt, persequi hoc loco vellem: præsertim quum nullam fere aculerit utilitatem. Sleidanus primam hanc Goliathæ sui pugnam leui percurrit brachio; & quamuis Eccius & Carolstadius præcipuas partes sustinuerint, ac diu inter se concertarint, solum tamen Lutherum in scenam producit, Romanæ primatum Ecclesiæ oppugnantem. Illud boni ex hac disputatione consequurum est, quod Saxonix Dux Georgius non mediocriter inde confirmatus, ad extremum vsque vitæ diem in Catholica religione constanter perseverauit, ac Lutheri acerrimus hostis fuit. Ego, inquit, in epistola ad Angliæ regem, (a) *cognouit tum quod euasura esset hominis huius audacia, si non fibula ei fuisset posita. Facile videre fuit, sub ouilla pelle astutam vulpem latere.* Finito, vel abrupto potius colloquio, noui pseudo-Apostoli VVitebergam reuersi sunt; & quamuis tam S. scripturæ quam SS. Patrum testimonijs & auctoritate victi essent, pro victoribus tamen se ferebant, diuersis scriptis Carolstadium excusantes, quasi is sine charta & libris disputare coactus fuisset, quum tamen plaustra libris & chartis onusta adduxisset. Ithoc quidem Lutherus in epistola ad Spalatinum affirmat. Iidem contra quam decretum ac promissum fuerat, Disputationis articulos ad ipsorum incudem reuocatos diuulgauerunt. Quin etiam ipse Lutherus ad Pontificem scribere, & Eccium arrogantix & temeritatis accusare ausus est: vt qui suæ gloriæ studio, Curix Romanæ turpitudinem detexerit, & compositionem quam eius Nuncius Miltitius tractabat, impederit. *Ipsius exemplo, inquit inter alia, cognitum est, nullum perniciosiorem esse hostem quam adulatorem.* Econtra Hieronymus Emserus, qui disputationi quoque interfuerat, in Catholicorum fauorem veram totius rei historiam typis publicauit, non sine magna Lutheri ignominia, cuius ille furorem non minus scite quam vere descripsit, & plusquam centum testimonijs confirmauit. Duo tamen commoda populus Catholicus ex disp. Lipsiensi octus est, unum quod sui cordis secretum furioso clamore Luthe-

rus aperuit, coram multis professus eam rem nec in Dei nomine ceptam esse, nec terminandam. Alterum quod post eam disputationem passim traductus est Lutherus suismet ex dictis & chartis, quod dogmata tueretur quædam aliena à communi sensu Fidelium. quorum p ius ita manifestum erat, ut redarguere ipse licet effrons non poruerit, alterum verò conatus est obuelare, edito libello professionis Fidei suæ, quoad articulos eos, circa quos erat suspectus, in quo profitebatur SS. esse inuocandos honorandosque: *defunctorum fidelium cruciatu esse caritate viuentium mitigandos: & Dei ac Ecclesiæ mandata esse obseruanda: Opera per gratiam Dei facta esse bona.* Ecclesiæ Romanam etsi defectus quosdam habeat, esse tamen à semper futuram inlem, ut sit causa recedendi ab ea, Pontificum Romanorum decretis esse obtemperandum. (b) Sed hæc ipsa metu solo vel spe purgandi sui apud homines, non autem serio dicta sequens tempus edocuit, aut certe si serio ista professus est, arundo fuit ventis, contrarijs ad ituporem agitata, verbo Proteus aut Vertumnus Saxonicus.

II. Dum Lutherus in hac arena vehementius quam antea defudat, & iam hunc iam illum Fidei articulum conuellit Colonienfis Vniuersitas libellis à Luthero editis oculos iudiciumque adhibuit, & scatenes erroribus Christique fidelibus noxios declarauit, publicato damnationis decreto 30. die Aug. quorum exemplum secuti sunt Doctores Louanienfes, 7. Nouemb. in quos proinde more suo Lutherus dentes & bilem exacuit, quos viri grauissimi flocci fecere; Iacobus tamen Latomus Louanij Doctor rationibus è SS. PP. petitis iustam damnationem Lutheri typis vulgavit (c) Et quia Philip. Melancthon data 21. Iulij epistola falso contraque fidem & pacta vulgaret de Lipsiensi disp. sibi placita capita quædam, Eckiusque eum refurarat, acerbissime calamum strinxit in Eckium & poëtastrorum chorum in eum armauit, quo genere pugnx nihil territus Eckius Romam perfectus est ad informandum Pontificem de periculo, quod Germaniæ infelici incumbebat: (d) Leo PP. scriptis ad Saxonix Ducem, vnicum Lutheri fulcimentum, litteris, priores querelas repetit, & quam gra-

G 2 uem

a Data 6. April. 1519. b Vlenbergius in Vita Luth. cap. 4. num. 5. c Vlenbergius cap. 5. Vita Luth. d Idem cap. 5.

nem tam suæ ipsius existimationi quam vniuersæ Ecclesiæ injuriam faceret demonstrat, qui sinu suo tam venenatam aleret viperam, quæ lethali morsu mox ipsum esset confectura. *Qui*, ait quodam loco Papa Urbanus, *alterius defendit errorem, detestabilior est eo ipso qui errat: ut qui malitiam eius fouet, & plagas tendit quibus alij capiuntur.* Lutherus ijs, quas ad Pontificem dederat litteris, plurima verba honorifica immiscuerat; tandem vero ita concludit: *Pater sancte, inquit, Quantum ad renouationem eius quod dixi aut scripsi, ne quaeso, quisquam cogere me presumat, nisi Ecclesia causam multo maioribus quam antea turbis inuoluere, ac rem plane exulcerare velit. neque enim ad interpretandum Dei verbum ullam ego legem vel auctoritatem recipere decreui.* Suum scilicet vnus caput ac cerebrum pro Delphico oraculo & veritatis norma habebat. Vide, quæso, extremam hominis superbiam & vanitatem, quæ superbiam parens eum inflauerat! Saxoniam Dux acceptis à Pontifice litteris, se excusauit, dicens, *Sanctitatis suæ Nuncio minime è re visum fuisse ut Lutherus Saxoniam excederet, ne alibi, vti aiebat, multo plus mali daret, idque quod vno iam loco includeretur, ubique disseminaret.* Sed hoc profecto imprudens fuit & perniciosum Militij consilium. Quis enim Lutherum à Saxoniam Duce eiectum recipere ausus fuisset? Credibile sane est, eum paullatim in eas angustias redigi potuisse, vt relicta Germania ad Bohemos fuerit transfugiturus. Et hoc quidem ille asylum seu receptum sibi ipse destinarat, vt non semel postea ex eo, primam hanc suam fortunam commemorante, auditum fuit. Sed quem fauorem ab Hassitis expectare poterat. quos ille hæreticos appellando, non mediocriter offenderat? Et quemadmodum Caroli V. Imperatoris merus Germania; sic Ferdinandi, Bohemia eum fuerat expulsurus: nec quidquam aliud reliquum futurum erat, quam vt nullibi reperta secura statione, in Turciam profugeret. Fridericus Dux quamuis Pontifici obtemperaturum se simularet, Lutherum tamen tanto plus animabat ac sustentabat, quanto magis alios in exitium eius consentire animaduertebat. Ex quo factum est, vt Papa ad extremam descendere remedium, eoque gladio vt coactus sit, cuius virtus reliqua arma temporalia & humanarum virium instrumenta tanto plus superat, quanto vis supernaturalis inferioribus his rebus dignitate ante-

cellit: Gladio, inquam, quem ille ab omnipotenti Dei manu accepit; vel Fulmine potius spirituali, vt Cyprianus appellat, quo Ecclesia non minus, quam naturali fulgure aer, purgatur. (a) atque hæc fere Anno 1519. gesta fuerunt. seq. vero An. 1520. 4. Ian. Ioannes Episc. Misnenfis Lutheri libros damnauit, & Lutherus passim hominum fauores minis, dolis blanditiisque captauit.

III. Vetus est Christianæ Ecclesiæ consuetudo, vt contra omnes hæreticos, schismaticos & alios rebelles formidabilis Excommunicationis sententia pronuncietur. Id quod singulis annis feria quarta sacre hebdomadæ fieri solet: quæ Pontifex, peracto sacro, Pontificali habitu indutus, comitante vniuerso clericorum ordine, in sublimem quendam Ecclesiæ S. Petri locum ascendit, vnde in amplissimam subiectam aream, in qua innumerabilis cum hominum cuiuscumque nationis multitudo conuenit, est prospectus. Ibi duo vtriusque ad Pontificis stantes latera, Bullam quæ *In Coena Domini* appellatur, vnus Latina, alter Italica lingua conceptam prælegunt; cui inserta sunt nomina omnium hæreticorum, schismaticorum, & aliorum qui ab Ecclesia recisi sunt, quos certis verbis & cæremonijs Papa de nouo excommunicat & anathematizat. Quo facto, idem flammam ardentem proicit, in signum maledictionis. Anathema (b) vero quo Ecclesia rebelles ab obedientibus separat (quæ est maxima omnium in Monarchia Ecclesiastica pœna, & mors animæ, vt S. Aug. (c) loquitur figura est eius separationis quæ in extremo iudicio futura est. Quod enim corpori vetus, idem noua Lex animæ statuit supplicium, vt idem inquit. Tum etiam candelæ extinguuntur; quo tenebræ damnatis præparatæ significantur. Igne enim animarum, quæ in cælis viuunt, significatur immortalitas: quod is naturaliter sursum ad cælos tamquam centrum suum feratur: & corporibus etiam abreptis, animæ nihilominus in magno illo, & æterno igne, omnis lucis inexhausto fonte, felices viuunt. Per ignem quoque fides nostra viua & feruens figuratur. Atque hanc ob causam apud primos Christianos etiam medio die Episcopis flammæ ardentes præferebantur (vt Nicephorus (d) & Suidas in vita Fulgentij Africani Episcopi testantur) vt olim quoque Imperatori-

bus
a Vide Glycam parte 4. Annal. de punitione excommunicati. Nau. c. 17. b Tertullianus in Apolog. c Augustin. in Deuter. q. 59. d Vlenberg. in Vita Cap. 5. c Lib. 107.

bus Romanis. Cuius rei causam aut originem doctissimus Lipsius in Commentarijs suis ad iv. librum Aonali. Taciti nullam aliam se reperire posse ait, quam id quod ab Herodiano post Antoninorum sæculum notatur. Et eandem forte ob causam Ducibus Venetorum per urbem euntibus tæda ardens olim fuit prælata. Lumina ergo, uti diximus, in hoc Actu extinguuntur, quum ut fides hæreticorum mortua, tum tristitia quam inde concipit Ecclesia, significetur: sicut e contra in publicis gaudijs & festiuitatibus eadem accendi solent, ut S. Chrysostomus ait (a) Hinc etiam apud nos in iisdem ignes publice excitari solent. Licet autem Lutheri hoc eodem modo in maledictorum numerum relati candelæ extincta fuerit; hæresis tamen eius passim accensa indies magis magisque gliscibat: quod ille tam extrema desperatione, quam vindictæ contra Papam studio adactus, Deo, cælo & terræ bellum inferre constitisset.

IV. Videns ergo Lutherus nullam spem salutis sibi esse reliquam, neque vllam ad gratiam aut veniam receptam, nisi collum laqueo ipse præberet, omnem iram cum facibus euomere, ac tamquam rabiosus canis obuios quosque impetere cœpit, clamitans: *Vbi estis, ô Imperator & Principes? An tantam violentiam ferre potestis? Non vereamini, ô Romani Antichristi, ne lapides & ligna præ uestrarum blasphemiarum horrore sanguinem sudent? Ego si percam, exitium meum uestrâ ruinâ nobilitabo Idem omnes potentias cœlestes & terrestres ad sui defensionem contra Papam, ut appellabat, tyrannidem, euocabat, quem Christi olim Vicarium, iam Antichristum appellans; cui sua manu lethalem ictum se inflicturn minabatur. Mea, inquit, doctrina dominabitur; Papa vero cadet. Pacem recusauit: bellum ergo habeat. Videbimus uter prior lassus sit futurus, Papa an Lutherus. Fatum inenitabile Papam ad ruinam trahit, nec quisquam, ut Daniel dicit, in auxilium eius ueniet. Sic pseudopropheta hic vaticinabatur palam, clam vero angustijs animi exitum non videntis, iustabatur ita ut Wittebergæ insidias sibi paratus sciens, & gratiæ suæ in Aula Saxonis, ob læsôs petulante lingua nobiles viros, diffidens, & præfugio fulminis Roma imminente, de Transfugio ad Hussitas consilium cepit. à quo tamen consilio eum superuenientes è Franconia Nobilium aliquot literæ, reuocarunt, omnem opem spondentes fortunarum & corporum suorum obiectu. Complures existimabant, quemadmodum*

serpens virga facilius quam fuste occiditur; sic hæresin hanc leui potius quam tam graui & seuerâ, quamuis iusta censura potuisse extinguere. Et quemadmodum qui à Tarantulis morfi sunt, (b) tibiatarum cantu sanantur; sic hæresi infectos mansuetudine potius & lenitate ducendos, ac vincendos esse. Sed tam in hoc quam alijs ex euentu potius quam veritate iudicium fieri solet, Emunctæ patris scriptor Guicciardibus, *Melius forte futurum ait, si hominis huius fatuitas dissimulata initio & contemta fuisset, ut qua propria sponte in ventum & fumum fuerit abitura; quum e contra tot tantisque conatibus nihil aliud effectum sit quam quod malum longius latiusque proserpsit. Quanto enim plures quantoque acerbius Lutherum persequerentur, tanto illius causâ maior apud populum accedebat auctoritas & fauor, existimantem tantas ipsum persequutiones ob vitæ innocentiam & sanam doctrinam reformationem sustinere. Et certè consultius fuerat ei ignoscere; quemadmodum coruos excitare non molle ferens, quod hanc à Natura habeant vocem, recte Vespasianusaiebat, Non ægre ferendum esse, si homines quæ corde concepta habent, aliquando effundant, ne retenta aut repressa, cum maiori deinde periculo & damno erumpant, vel saltem ut quis quisque sit innotescat. Verum vniuersa consilia hominum, incerta sunt & timida.*

V. Cum igitur 14. Iunii Romæ publico decreto foribus S. Petri affixo damnati essent Lutheri 41 errores accusante Eckio, & damnationis sententia per eundem & Hieron. Aleandrum missos in Germaniam Commissarios publicaretur (c) Lutherus incredibili Papæ æstuans odio, quod ab eo Sathanæ esset traditus, multo quam vnquam antea acrius insanire & furere cœpit; certus iam extrema omnia moliri. Quod ipsum in libello ad comitæ Ratisbonensia missio præse fert, omnium turbarum causam in sanctissimum Patrem (sic per ludibrium eum appellat) à quo excommunicatus & diabolo esset traditus, conferendo; seipsum vero excusando, ut cui omnium, vndiquaque stilis & calamis imperito, extrema se defendendi imposta fuerit necessitas. Vbi vero accepit libros suos publicè crematos (quasi ijs abolitis, omnis Lutherana hæreseos memoria vnâ foret interitura) ipse quoque Iuris Canonici libros, ut & Leonis X. Bullam, inaudita tam vilis monachi audacia, conuocatis ad hoc

G 3

a Hom. 20 ad pop. Antioch. b P. Athan. Kircher in Magne, c Vlenberg cum A. A. suis, cap. 5. Brousius An. 1520

hoc sacrificium scholasticis suisque auditoribus, Witebergæ publice combussit. pronuntiatis inter alia his verbis: *Quoniam tu conturbasti Sanctum Dominum, ideo te conturbet ignis æternus.* Facti huius decretum iv. Operum ipsius Tomo insertum legitur. Neque unquam postea ullam animus ipsius quietem habuit. *Inuadamus* (exclamabat homo ille omnis humanitatis expertus, (a) *Inuadamus omnibus quibus possumus armis filium perditionis, Pontifices, Cardinales, ac totam hanc senenam Romanam: laeuemus in sanguine ipsorum manus nostras.* Ecce quomodo Sathanas tam lingua eius quam penna ad summam crudelitatem abusus sit. Hæc enim ipsa verba gladiatoris suis libellis non vna lingua editis ac circummissis, inferere non dubitauit. Sed quid dicis, Luthere? An S. Apostolus Paulus hoc modo gentiles tractauit? An sic ille cum ijs quos ad Iesu Christi cognitionem adducere cupiebat, loquutus est? *Qua desursum est sapientia,* inquit D. Iacobus, (b) *puāca est, pacifica, modesta: ac scientia filiorum superbiæ turgida est, arrogans, minax.* Non igitur diuinæ domus zelo, sed Papæ odio impulsus fuit Lutherus, vt ipse in epistolis suis testatur, vbi dicit, *se non lesse CHRISTI amore, sed Pontificis odio, cui igne & sanguine bellum denunciat: um velit, certamen hoc suscepisse: valdeque sibi molestum esse quod multo plus mali facere iam ipsi non possit.* Qui Lipsiensis disputationi interfuerunt multa incredibilis insolentiæ adeoque furoris plena verba ex ore eius profecta annotarunt. Admonitus enim vt modistius ageret, si quidem Dei verbum non nisi cum modestia & spiritus lenitate tractandum esset: Ego, aiebat, longe alia scribam, si Romana Sedi hæc displicere intellexero. Et in præfatione libri De captiuitate Babylonica, Dum illi, inquit, de mea aliqua hæresi triumphabunt, ego aliam nouam procudam. Nihil tum ille frequentius quam Antichristum in ore habebat (c) & vt simplices deciperet, primitiuæ Ecclesiæ simplicitatem demonstrabat: quæ opulenta tum paupertate & sublimi humilitate felix, ad eam, vt ab Esaiã vate prædictum fuerat, magnitudinem postea petuenire debuit, quam post redditam ei pacem & Imperatores Regesque ad fidem conuersos, ei obtigisse videmus & admiramur. Et sicut ab vna parte Lutherus nascentis Ecclesiæ paupertatem; ita ab altera morientis (sic enim aiebat) pompam & maiestatem graphice describebat: *eam exemplo Pelagianorum (d) pestilentia cathedram appallans; item Babylonem, cuius in Apocalypsi fit mentio, Sanctorum interfectorum, & sathanæ*

sedem: quasi eadem esset Roma quæ tempore Neronis & Diocletiani olim fuit. Atqui inter Romanam paganam & Christianam, vel potius inter Romanam & Ecclesiam, vt facit Hieronymus, diligenter distinguendum est. Illatur merito adultera & meretrix audijs; postea vero à SS. Patribus Ciuitas sancta, Sedes pietatis, & omnium Ecclesiarum totius Mundi mater fuit appellata. Tempora scilicet distinguenda sunt, nec quod de primis sæculis dictum est, ad posteriora est trahendum. Roma gentilis domicilium fuit Sathanæ, & thronus eorum qui tam Apostolos quam multa martyrum millia morti tradiderunt: at eadem iam est Ecclesiæ Dei Sedes, in qua Apostolorum sedet successor. Qui sedem hanc occupat, non cum Ioue imperium partitus est, nec velut alter Briareus, dei cto Ioue, seipsum intrusit. Qua vos fronte, ô perditimendaciorum parentis filij, eiusmodi sententiam contra eum pronuciare audetis, qui Sedem suam numquam tam alte versus cælos eleuatam esse cogitat, vt obliuiscatur terram à se pedibus contingi? qui licet Dei in terris sit Vicarius, hominem tamen. & quidem è terra & luto formatum in Dei conspectu se esse meminit; nec tam D. Petri quam peccatoris successorem, adeoque seipsum peccatorem esse nouit.

VI. Non sine causa reprehensione dignus fore mihi videor, si huius monachi fatuitates vel furias potius hoc loco recenscam, quas ipse Sleidanus celare non potuit: quæ si ipso forte dignæ sunt, dignæ tamen non sunt quæ à me describantur. Quoniam tamen noui hi Deuotiones; meliores Mundi, si dijs placet, restauratores, & Ecclesiæ repurgatores, ipsi à nouo hoc Apostolo doctrinam suam (quamuis ea iam immane quantum ab ea quæ olim fuit distet) accepisse se gloriantur: non abs te fuerit noui huius Euangelistæ ingenium & mores cum primis Christianæ fidei archiectis & fundatoribus conferre. Sicut vero Simonidis calcei distortos ipsius pedes arguebant: sic hominis huius scripta animum eius nobis indicant & depingunt. E sacco frustra tu aliud depromerententes, quam quod in eo reconditum est. Eo quemadmodum in priscis illis Doctoribus humilitas, mansuetudo, benignitas, continentia & pietas

a Epist. contra Siluest. b epist. cap. 3. c Vid. de epist. ad Argent. Cochle, Lindan, Emser. d Aug. lib. 2. cap. 5. cont. Peti.

tas mirabiliter eluxerunt; ita in hoc homine nihil nisi superbia, furor, crudelitas, incontinentia, maledicentia & impietas notari potest. Vt vero Apellis manum vna linea prodidit: ita ex vno & altero dictorio ingenium & mores huius hominis, & ex vnguibus, quod dicitur, leonem facile agnosceremus. In libello quem ille pro strenua ad sacrum Cardinalium miserat collegium, a minis contra sanctissimam Sedem exoritur, post multas effutitas ineptias sic tandem concludit, vt dicat, *se Papaminas & Bullam nepotum quidem facere; eosque qui obminas moriantur, ventris crepibus esse sepeliendos.* Orarum Lutheranae modestiae exemplum ac testimonium? Quam longe ab hac scurrilitate etiam ipsi Ethnici abfuerunt, qui nec ambiguis verbis opinionem aliquam turpitudinis habentibus vti voluerunt! Monitus vero à discipulis, & inprimis à Philippo Melanchthone, vt maiori vteretur modestia ac ratione, respondit: *Velle se pro tali haberi, velle maledicentia, conuicijs & opprobrijs contra Papi- stas reseruum videri. Immo pulcrum sibi & gloriosum ducere, si vsque ad vltimam execrationibus & iniurijs contra surciferos istos sese exercere possit: & cuius eos aquam ex pumice quam vel vnum bonum verbum ex ore ipsius expressuros.* O impudentem audaciam! omnino mali, Lernam atque abyssum! inquit Euripides. Porcus hic in Aethiopi Augia saginatus nihil fere nisi sordidum ac stercoreum aut in ore habebat aut chartis illinebat, tanta foeditate vt vel sola auditione aures, & lectione oculi conscelerentur: vt inde *Propheta stercoreus* passim appellatus sit. In eum est Andreae Deliciani hoc Epigramma:

*Stercora dum pra se ducit quaecumque Lutherus,
Ores, spurciloquo nil nisi stercurus habet;
Num. rogo, Stercorei dices hunc esse Prophetam?
Qualia verba viri, talis & ipse vir est.*

Hoc encomium Luthero verissime competere luce meridiana clarius perspiciet qui eius operum Tomos perlegeret, quorum tamen, hanc ob causam legendorum, operam lucris fecit praclare M. Conradus Andreae, seu P. Conradus Vetter è Soc. Iesu, qui ex vniuersis operibus Lutheri collegit flosculos dictorum eius, redegitque in locos communes seu Titulos istos: 1. Innocens. 2. Humilis. 3. Verax. 4. Christianus. 5. Deuotus. 6. Fidelis. 7. Angelicus. 8. Biblius. 9. Grauis. 10. Castus. 11. Sobrius. 12. Cygnæus, vel porcinus. 14. Veraquista. 13. Pacificus. 15. Mundus. 16. Mansuetus. 17. Iurista. sub quibus titulis ipsa Lutheri verba ex eius operibus ita digesta sunt, vt sub solo 15. titulo, 311. loca

impurissime olentium & scurrilium verborum ex scripta sit reperire.

Nec contentus tam scurrilibus conuicijs & atrocibus iniurijs scripta sua infercire, etiam scalprum & penicillum adhibuit. Sicut enim Leopardus omnium animalium homini infestissimus, vbi ipsum hominem nancisci non potest, imaginem eius sibi obiectam inuadit, & articulatim dilaniat: sic Lutherus furijs & intemperijs actus, Leonis PP. imaginem centum modis à se depictam misere habuit & depexuit. Iam ad instar cornuti diaboli, iam sub forma asini Mida habentis auriculas, iam serpentis aperta in gluuie & faucibus minantis figura, Magno numero passim eiusmodi tabulae Papae figurae pictae & sculptae visebantur, non solum ineptae & ridiculae, verum etiam ignominiosae, adeoque profligatissimi hominis Chirophanis picturis turpiore socommaris & dictorijs adiectis non tam Theologo quam effroni nebulone dignis. Has ille plerumque librorum suorum frontispicijs praefigere solebat, vt Sleidanus non sine voluptate quadam recitat: qui Scrophae & Asini picturam à Luthero editam repraesentat, eaque occasione Prophetam illum appellat, additae tabulae eiusmodi inscriptione: *Lutherus Prophetico spiritu donatus.* Nec dissimulat tamen eundem propterea à multis fuisse reprehensum. Nec vero libri tantum & Musae eiusmodi emblematis depicta passim videre erat, verum etiam maius Torgauiensis arcis, vbi Saxoniae Duces commorari fere solent, conaculum miram è Lutheri cerebro effusam ac depictam Iesu Christi & Papae Antithesin ostendebat. *Depicturis eiusmodi, loquens Sleidanus, ait eas à multis fuisse reprehensas, quasi parum ipso dignas. Sed illum suas habuisse rationes; ac longius prospicere eum vulgo existimatum. Et in libris eius multa de magnis vobis exstare vaticinia, quorum nonnulla iam impleta, alia adhuc in Dei sint manu.* Idem hoc loco Sleidano accidit quod remigantibus accidere solet, quò nauis agatur nihil prospicientibus. Excusando enim pseudopphetam suum, non modo ipsum, verum se quoque reum, & ipsius stultitiae participem facit, chirurgi illius apud Iuvenalem exemplo, foedum & putidum vlcus fetico emplastro tegere ac celare conantis. Sed vbi vaticinia illa vel prophetiae sunt, quae hic Lutheri paranymphus nos celat? Restat ergo vt dicamus Mithiam aliquam fabulam illum narrare & depingere nobis voluisse?

QVO;